

declaratur; et tunc res est clara quantum ad generalem intentionem instituentis, licet dubitari possit an extendatur ad omnes et singulas regulas, in quo ipsa verba talis declarationis præcipue consideranda sunt; et deinde materia aut modus regularum; nam, ut significat D. Thomas, dict. Quodlib., et infra, in cap. sequenti, explicabimus, in regula nonnulla misceri solent, quæ sunt pura consilia, in quæ nulla obligatio in conscientia cadit etiam ad veniale; quod locum habet, non obstante prædicta generali declaratione, quia illa intelligitur fieri juxta materiam proportionatam; hujusmodi autem est quicquid in regula habetur per modum præcepti, vel statuti, aut ordinationis, non vero id quod solum ponitur per modum consilii; quia illa declaratio non fit ad ponendam obligationem, ubi ex vi verborum non postulatur, sed ad limitandam illam, ubi ex modo regulæ postulatur. Tunc ergo in tali materia, quantumcumque gravis sit, obligatio est sub veniali; erit tamen major in graviori materia, semper tamen intra illam latitudinem. Alio modo potest illa pars contineri in regula solum tacite, seu præsumptive, quia scilicet, solum obligatio ad mortale negatur, de altera vero tacetur, ut fit in dicta declaratione Martini V; nam per hoc admitti seu relinqui videtur, juxta cap. *Nonne*, de Præsumptionibus, quæ præsumptio erit evidentior, si in regula ipsa expresse supponatur in generali *obligatio in conscientia*; nam cum hæc duplex tantum sit, exclusa una, tantum relinquitur altera. Si autem illa generalis declaratio non habetur, res est magis dubia, quia datur tertium membrum, quo possit regula obligare, ut supra diximus. Nihilominus, quia illa duo membra incompatibilia non sunt, imo valde germana, scilicet obligare ad culpam venialem, et ad aliquam pœnam, ideo qui præcise excludit obligationem ad culpam mortalem, videtur plane totam aliam obligationem, quæ ex vi legis inferri potest, admittere; quod probabilius fiet ex his quæ in quarto puncto dicemus.

12. *De tertio modo.* — Hinc ergo ortus est tertius modus ferendi, et expresse declarandi regulam, ut neque ad veniale, neque ad mortale peccatum obliget; ita fit in religione Prædicatorum, ut refert D. Thomas, 2. 2. q. 186, art. 9, ad 1, et significat suo tempore fuisse hoc singulare in illa religione; nam cum de aliis religionibus dixisset, regulam obligare saltem ad venialem culpam (quod infra declarabimus) subdit: *In aliqua*

tamen religione, scilicet ordinis fratrum Prædicatorum, transgressio talis vel omissio, ex suo genere, non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem, sed solum ad pœnam taxatam sustinendam. Ubi Cajetanus addit, hanc declarationem non fuisse in illo ordine a principio ejus, sed factam esse in secundo capitulo generali anno 1237. Non exponit autem an declaratio illa cadat etiam in regulam D. Augustini, quatenus eam dicta religio profitetur, vel solum in proprias constitutiones ejusdem religionis. Nam si vera est differentia inter regulam et constitutiones, quam supra, cap. 1, n. 5, ex Antonino et aliis retuli, non potuit illa religio regulæ obligationem moderari, sed solum suarum constitutionum; et hoc videntur sonare verba quæ Cajetanus refert: *Notamus quod statuta nostra obligent ad culpam, sed solum ad pœnam.* Verius tamen existimo declarationem illam extendi etiam ad ipsam regulam. Nam D. Thomas de ipsa regula loquitur, et ratio eadem est in illa; et probabilius existimo esse in tota religione potestatem ad hanc declarationem seu moderationem faciendam, etiam in regula, ut supra dixi.

13. *Ex obligatione directa ad solam pœnam resultat per consequentiam obligatio aliqua in conscientia.* — Notanda sunt etiam illa verba, *sed solum ad pœnam taxatam sustinendam.* Circa quæ Cajetanus dubitat an hæc sit obligatio in conscientia, necne; et negative respondet, quia declaratio regulæ excludens ab illa obligationem in conscientia universalis est; ergo nec circa sustinendam pœnam, illam relinquit. In quo videtur contrarius his quæ supra, num. 6, diximus; sed non est; quia loquitur præcise, et ex vi regulæ, et de directa obligatione ejus; nos autem locuti sumus de obligatione consequente ex natura rei, vel ex præcepto superioris. Itaque si regula imponat pœnam ipso facto a subdito exequendam, et non infligatur a Prælate (id enim facere potest et solet, ut ibidem Cajetanus refert), non magis obligat in conscientia ad exequendam pœnam, quam ad non committendam transgressionem; quia declaratio universalis est, ut recte Cajetanus argumentatur; si autem pœna per Prælatum imponenda est, vel consistit in actione exequenda ab ipsomet subdito ad præceptum Prælati, et tunc juxta modum præcepti erit modus obligationis; unde, si præceptum fuerit rigore positum, erit quidem obligatio ex vi præcepti, non ex vi solius regulæ. Vel pœna solum passive sustinenda est a subdito, et tunc non habet locum directa obligatio in

conscientia, quia hæc non est ad patiendum, sed ad agendum, quamvis intelligi possit obligatio ad non resistendum violenter, ad quod videtur teneri subditus ex vi subjectionis et obedientiæ. Dices: nulla ergo obligatio oritur ex hac lege pœnali, nam tota hæc oritur ex vi obedientiæ debitæ Prælate. Respondetur: regula tunc facit ut illa pœnalitas per modum supplicii et vindicationis sit materia obedientiæ juste impositæ; nam sine tali causa non posset Prælati juste vel rigore præcipere talem actionem, vel cogere ad talem passionem. Et ita obligatio in conscientia, quæ ibi intervenire potest, radicaliter fundatur in regula, et in declaratione ejus, prout a D. Thoma etiam insinuat; dicit enim regulam non obligare ad culpam, sed ad pœnam; loquitur enim de obligatione in conscientia; sentit ergo in ordine ad pœnam oriri aliquam obligationem in conscientia, quæ non videtur posse esse alia, nisi quæ a nobis explicata est.

14. *Hic tertius modus ferendi regulam distincte habetur in Societate.* — Et juxta hæc (ut Cajetanus etiam dixit) intelligenda est omnis alia regula, quæ similem habuerit declarationem, qualem habet nostra Societas distinctissimam, et tollentem omnem dubitationem, 6 part. suarum Constit., cap. 5, ubi dicitur, universas constitutiones, declarationes, aut ordinationes, exceptis tantum Societatis votis, non inducere obligationem ad peccatum mortale vel veniale, nisi addantur expressa signa hujus obligationis, ubi ponuntur hæc duo, *in nomine Domini nostri Jesu Christi, vel in virtute obedientiæ*, tanquam specialia religionis. Supponitur autem aliud signum de pœna excommunicationis, ut generale ex vi juris communis, quo interdum etiam utuntur constitutiones Societatis, ut infra videbimus. Est autem peculiare in illa declaratione, ut nulla mentio in ea fiat obligationis ad pœnam, et in tota regula Societatis hoc specialiter observari potest, ut rarissime pœna aliqua taxetur, neque illius comminatio fiat, sed simpliciter, quæ agenda sunt, statuuntur. Quod non ideo fit, quia ex regulis ipsis non sequatur obligatio ad aliquam pœnam; hoc enim, ut diximus, et ex natura rei sequitur, et ad disciplinam religiosam necessarium est, quæ in Societate exacte retinetur, appositis per superiores pœnitentiis pro levissimis etiam contra regulam transgressionibus; sed voluit nobis significare S. P. N. Ignatius, primo, alumnos suos amore potius quam timore regendos esse; unde in

citato loco concludit: *Et loco timoris offensæ succedat amor, et desiderium omnis perfectionis, et ut major gloria et laus Christi Creatoris ac Domini nostri consequatur.* Deinde voluit ut, quando contigerit aliquem in regulæ observatione deficere, non solum patienter sustineatur pœna, sed etiam voluntarie ac studiose procuretur; et ideo part. 3 Constit., cap. 1, § 28, et in Summ. const., § 51: *Aliquoties (inquit) singulis annis, omnes a superiore sibi pœnitentiis injungi propter defectum observationis regularum putant, ut hæc cura indicium sit illius, quam de suo profectu spirituali in via Dei quisque habet.*

CAPUT III.

QUOMODO DIGNOSCATUR REGULAM OBLIGARE,
QUANDO ID NON EXPRIMIT.

1. *Arguitur hunc quartum modum semper importare gravem obligationem.* — Quartus modus ferendi regulam religiosam propositus præcedenti cap., n. 8, atque in præsentia separatim tractandus, quia uberiorem doctrinam continet, usitatus fuit ab antiquis Patribus; simpliciter enim regulam constituiebant, et modum obligationis ejus non declarabant; et ideo difficile est judicare quæ obligatio ex tali regula nascatur in profitentibus illam, non ratione voti adjuncti (de hoc enim jam supra dictum est), sed ratione sui, quatenus est quædam lex talis communitatis, quam servare tenentur qui efficiuntur membra ejus. Et est ratio dubii, quia regula est vera lex, ut supra dixi, et utitur propriis verbis præceptivis; ergo obligat cum omni rigore legis, id est, ad peccatum etiam mortale, quando materia est capax. Consequentia probatur ex declaratione Pontificis in dicta Clemen. *Evavit*, ubi, ex eo quod S. Franciscus, in sua regula, ad quædam apponit verbum *præcepti*, vel æquipollentis, colligit obligationem ejus sub culpa gravi. Minor autem patet ex regula Augustini, in cuius initio ponit: *Hæc sunt, quæ ut observetis præcipimus in monasterio constituti*; et in fine ait: *Ubi vos inveneritis ea, quæ scripta sunt, facientes, agite gratias Domino; ubi autem sibi quicumque vestrum videt aliquid deesse, doceat de præterito, caveat de futuro, orans ut debitum dimittatur*, in quibus verbis significat hunc defectum in regula non esse absque culpa coram Deo. Et S. Benedictus in Prologo suæ regulæ sic incipit: *Ausculta, o fili, præcepta magistri*, etc.; et de illa sic scribit Bernar-

12
 dus, libr. de Præcepto et dispensatione, cap. 2: *Universa Benedicti instituta non profitentibus quidem monita tantum, seu consilia censenda sunt, nec gravant non observata, cum tamen profitentibus in præcepto, prævaricantibus in crimine fiant.* Regula etiam S. Pachomii sic incipit: *Hæc sunt præcepta vitalia a tribus majoribus tradita.*

Prima opinio in præsentis capite. — Dicitur opinionis nullus auctor expresse. — In hac re tres possunt esse sententiæ. Prima est, hujusmodi regulam vi sua, et ex primaria intentione instituentium, obligare ad culpam, quantum potest juxta vim verborum et capacitatem materiæ. Pro qua sententia citari possunt Henricus, et Joannes de Neapoli, quos supra retulimus, qui magis videntur loqui ratione voti, quam in virtute legis. Hanc vero sententiam circa regulam Augustini fere sequitur Antonin., 3 part., tit. 16, cap. 1, § 6; et de regula S. Benedicti ex parte idem tenet Turrecrem., tract. 5 et 6 in illam, ubi ponderat verba Prologi: *Ausculata, o fili, præcepta magistri, et admonitionem tui patris libenter excipe.* Ex quibus colligit regulam obligare quoad præcepta cum toto rigore, quamvis quoad admonitiones non ita obliget. Quoad modum autem distinguendi, obscure loquitur, quia non ex verbis, sed ex materia putat esse distinguenda; nam si contineant finem regulæ, vel sint essentialiter necessaria ad illum, non putat esse præcepta, etiamsi per modum præcepti ferantur. Ex qua declaratione, si recte attendatur, nihil firmum colligi potest, sed potius ex illa sequitur regulam ut regulam non inducere obligationem, sed res ipsas, quæ continentur in regula, aliquando afferre obligationem, vel ex natura sua, vel ratione voti. Et in idem fere redit sententia Antonini, unde nulum invenio auctorem qui hanc sententiam expresse asserat, quamvis multi Canonistæ illi faveant, dum asserunt regulam religionis, si utatur verbis præceptivis aut æquivalentibus, et materia alias gravis sit, obligare ad mortale, nullam fere in hoc differentiam facientes inter præcepta regulæ religiosæ, et quælibet alia præcepta juris canonici, ut videre licet in Panorm., in cap. *Nam concupiscentiam*, de Constit., et in cap. *Relatum*, Ne clericus vel monachus; Felino, in dict. cap. *Nam concupiscentiam*, num. 9, et aliis quos referunt, putantque esse sententiam D. Thom. 2. 2., quæst. 186, art. 9, quia ibi ait regulam obligare ad mortale ratione præcepti, si in ea sit expressum; quia tunc pertinet regula ad

substantialia religionis, scilicet ad votum obedientiæ, quod est fundamentum dictorum auctorum. Non declarat autem D. Thomas quando regula contineat præceptum. Et eodem fere modo loquitur in Quodlib. primo, articulo vigesimo, ubi distinguit in regula tria, præcepta, statuta seu ordinationes, et monitiones seu consilia; et quoad præcepta affirmat obligare sub mortali, quoad alia negat; non tamen declarat quomodo obligent statuta aut monitiones, nec quomodo illa tria sint in regula distinguenda, an ex verbis, vel ex rebus.

3. Secunda opinio bipartita. — Secunda ergo opinio esse potest, regulam religiosam, si de obligatione ejus nulla fiat in ea generalis declaratio, nullam obligationem ad mortale peccatum inducere, quantumcumque verbis præceptivis utatur, nisi vel aliquo speciali verbo ostendat ferre præceptum sub virtute voti obedientiæ, vel talem addat poenam quæ plane indicet lapsum gravem, vel nisi consuetudo ita fuerit regulam interpretata; nihilominus tamen obligare ad omnia quæ in ipsa continentur sub veniali. Prior pars probatur primo ex discursu D. Thomæ in illo Quodlib., nam Sancti Patres, qui religiones instituerunt, noluerunt hominibus injicere damnationis laqueum, sed potius viam salutis ita ordinare, ut illius periculum esse non posset; ergo non habuerunt intentionem multiplicandi præcepta obligantia ad mortale, nam illa non possent non esse in laqueum respectu totius communitatis, in qua plures infirmos et fragiles esse necesse est; ergo quoties verba omnino non cogunt ad intelligendum hujusmodi fuisse intentionem fundatoris, præsumenda non est. Secundo, id colligi potest ex ipso nomine regulæ, quod de se non vendicat rigorosam vim præcipiendi, sed dirigendi et instruendi. Unde, licet sub generali regula in aliquibus particularibus ponatur verbum imperandi, vel in actu signato, ut, *præcipimus, mandamus*, vel in actu exercito, ut, *omnes hoc faciant, caveant*, etc., non est sufficiens signum rigorosi præcepti, nam sæpe uti solemus illis verbis ad explicandam simplicem ordinationem, sicut pater imperat filio sine intentione rigorose obligandi in conscientia; vel, sicut dicitur Matth. 7: *Præcepit eis ne cui dicerent.* Sic etiam Clemens I, epist. 5: *Doctrinis (inquit) et exemplis Apostolorum obedire præcipimus*, quod explicat Glossa, id est, monemus, in cap. *Dilectissimis*, 2, q. 1. Vel saltem est certum sub illa voce etiam monitiones comprehendere, quia in Apostolorum doctrinis et exemplis, tam præ-

cepta quam consilia continentur. Igitur ex subiecta materia et circumstantiis lenitur sæpe rigor illius vocis. Unde Navar., cap. 23 Summ., num. 50, dixit, illa verba ex originaria significatione non indicare obligationem ad mortale, et in dubio potius interpretanda esse de veniali, præsertim si aliqua conjecturæ adjungantur, quæ in præsentis sunt: Primum, quod talia verba ponuntur sub generali titulo regulæ, et non rigorosæ legis. Secundum, quod eodem tenore ponuntur in rebus levioribus. Tertium, quod ad finem intentum per regulam nec necessaria, nec conveniens erat talis obligatio.

4. Arguitur item ratione. — Prima. — Secunda. — Altera vero pars de obligatione ad veniale colligitur ex D. Thom., d. q. 186, art. 9, ad 1, ubi ait, omnia, quæ fiunt contra regulam, et non rigorose neque ex voto præcipiuntur, esse peccata venialia; et idem sentit in alio loco, Quodlib. 1, quoad eam partem regulæ, quam dicit continere ordinationes seu statuta. Idemque intelligit de omni regula, in qua expresse non declaratur intentionem fundatorum esse hanc obligationem excludere. Et Cajetanus, d. art. 9, circa ad secundum, in fine, et tom. 1 Opusc., tract. 25, q. 1, ait regulam Augustini ex se obligare ad veniale ratione verbi *præcipimus*, in principio ejus positi. Quod etiam sentiunt Umbertus, et Jo. Dominicus, in expositione ejusdem regulæ, quos refert Anton. supra, § quinto et sexto, quamvis concedant aliqua esse in regula, quæ sunt tantum consilia. Eodem fere modo sentit Turrecrem. de regula S. Benedicti, quem Anton., § 7, late refert. Ac denique auctores omnes citati in præcedenti opinione a fortiori hoc sentiunt. Et D. Bernardus, libr. de Præcepto et dispensat., cap. 12 et seq., ubi hanc regulam constituit: *Universorum quæ per se aut propter se nec bona, nec mala sunt, aut divina institutione, aut propria cujusque professione fixa non sunt, non jussa quidem, licite, utrumlibet, vel admittantur, vel omittantur; jussa vero sine culpa non negligentur, sine crimine non contemnantur.* Sentit ergo, quæ sunt in regula (de his enim tractat), secluso contemptu, sine mortali omitti; hoc enim vocat erimen; non tamen sine aliqua culpa, etiamsi ex negligentia fiat, quæ ad minimum erit venialis. Ratio esse potest, prima ex D. Thoma, quia transgressio regulæ est quædam dispositio ad transgredienda principalia vota, nam ad illorum observantiam ordinantur regula, et omnia instituta regularia; ergo illa transgressio est quædam dispositio ad

peccandum mortaliter; ergo est peccatum veniale, nam propria ratio ejus est, ut sit dispositio ad mortale. Secunda, quia verba regulæ sunt præceptiva, vel ordinativa; ergo vi sua inducunt aliquam obligationem, et intentio legislatoris quoad hanc partem præsumitur conformis significationi verborum, quia cessant conjecturæ omnes factæ de obligatione sub mortali, nam hæc minor obligatio est satis consentanea fini regulæ et institutoris ejus, et est valde intrinseca ex vi talis modi ordinandi; ergo, nisi expressa et quasi reflexa intentione excludatur, semper inest ex vi regulæ.

5. Tertia opinio, ejusque fundamentum. — Suadetur primo. — Secundo. — Tertio. — Tertia sententia est, regulam religiosam simpliciter latam, sive ordinativam, sive præceptivam verbis, de se non obligare ad culpam mortalem aut venialem, nisi quando vel in ipsa regula hoc specialiter declaratur, vel ex aliis circumstantiis id colligitur, vel consuetudine ita receptum ac interpretatum est. Fundamentum hujus sententiæ esse debet, quia intentio fequentis talem regulam non est hujusmodi obligationem imponere, sed solum directionem et instructionem tradere, juxta quam religiosi vivere et gubernari debeant. Conjectura autem hujus intentionis est primo, quia hoc sufficit, et est magis accommodatum ad finem regulæ. Secundo, quia vel illa obligatio oriretur ex voto, vel ex jurisdictione: non ex jurisdictione, quia regulæ factæ sunt ab institutoribus religionum, priusquam propriam jurisdictionem ecclesiasticam haberent, ut constat de S. Benedicto, et de S. Augustino, qui regulam fecisse creditur priusquam esset Episcopus. Et licet Episcopi vel Pontifices tales regulas postea approbaverint, non tamen ideo addiderunt vim præcepti, sed solum approbarunt, et confirmarunt illas, ut observantias regulares aptas ad consequendam perfectionem, ut in simili dixit Navar., Comment. 4, de Regular., num. 29 et seq. Neque etiam oritur ex voto obedientiæ; quia, ut supra dixi, religiosus non vovet servare regulam, sed obedire secundum regulam; et ideo, donec Prælati præceptum accedat, non obligat regula in conscientia, nisi ad hoc solum, ut religiosus sit paratus subijci disciplinæ religiosæ secundum regulam. Unde argumentor tertio, quia non magis obligat regula scripta, quam Prælati jussio; sed Prælati cum jubet aliquid ordinario modo, sive utatur verbo mandandi, sive aliis simplicioribus, non obli-